



1. abfertigung der beerdigung,  
ob einem Scriben bij dem  
frou bißnam = top für ein  
zweyten erlaubt 1690
2. Christo-gennete unterweisung  
ob ein yordiger die marck  
Pract meines Amtes p. bij  
der absolution verlassen  
können 1733.
3. van Bashuysen f. Henr. Jac.  
diff. de theologia naturalis  
protestantia, Serveste 1726

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
 PRORECTOR  
 IOAN. IOACH. LANGIVS  
 MATHEM. ET PHILOS. PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAR  
 IMPER. NATVRAE CVRIOSOR. ET REGIAE SCIENTIARVM  
 BEROLIN. COLLEGA  
 VNA CVM  
 CANCELLARIO, DIRECTORE  
 ET PROFESSORIBVS  
 RELIQVIS


NATALEM IESV DOMINI  
 INDICIT  
 COMMENTATIONE  
 DE  
 GENEALOGIA CHRISTI.



M DCC XXXXVIII.


ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
DIRECTOR  
IOHANNES JOACHIM LANGIUS  
MATHEMATICUS ET PHYSICUS, ORD. ACADEMICUS  
HABITUS MATHEMATICUS, ET REGIAE SCIENTIARUM  
UNIVERSITATIS BEROLINENSIS, CONF. PUBL. ACADEMICUS  
CANCELLARIUS, DIRECTOR  
ET PROFESSOR

NATALIUM IESU DOMINI  
INDICIT  
COMMENTATIONE  
DE  
GENEALOGIA CHRISTI.



M DCC XXXVIII





Q. D. B. V.



Quo pluris et doctrinae christianae et vestra  
 omnium refert, CIVES AESTVMATISSIMI,  
 si CHRISTO vobisque cupitis, inter omnes  
 constare, IESVM MARIAE DEIque filium ex  
 DAVIDE ortum traxisse, atque adeo vere DAVIDIS filium fuisse:  
 eo maiori studio in id incumbendum est, vt tabulae genealogi-  
 cae, quibus maiorum ipsius census agitur, a MATTHAEO et LVCA  
 in litteras relatae posteritatiq[ue] transmissae, recte intelligantur, ab  
 iniquissima suspitione falsi et insensissima contradictionis infimulatio-  
 ne vindicentur, quam vel recentissimi sacrorum obtrectatores crimi-  
 nosissime calumniantur (a), atque in rem nostram fidemq[ue]

A 2

CHRI-

(a) Satis id comprobatur vnico libri nefandi exemplo, qui inscribitur vel *Examen de la religion, dont on cherche l'eclaircissement de bonne foy, attribué a Mons. de St. Exremond, vel la vraye religion démontrée par l'écriture sainte traduite de l'anglois de Gilb. Burnet, vbi chap. 3 p. 38 ad efficiendam criminationem §. 7 propositam, l'écriture est pleine de contradictions, scriptura scater contradiotionibus, §. 8 haec scribuntur: jamais on n'accordera*  
 la

CHRISTO faciendam conuertantur. Dabimus igitur operam, vt triplici hoc negotio succincte quidem et summatim, rite tamen et sollicitè defungamur, VOBISQUE his diebus CHRISTO homini ex patribus procreato sacris religiosae meditationis ad DEVM cogitandum venerandumque opportunitatem commodemus.

In constituenda vera certaue harum tabularum interpretatione eo nobis curatius elaborandum erit, quo certius est, ipsos interpretes inani explicationum subtilitate aduersariis latus praebuisse, atque scriptorum sacrorum narrationes primum inter se commisisse hostibusque periculorum aequae ac speciosorum obiectio-  
 tionum copiam fecisse, quae si genuinus sensus restituitur, illico euanescent atque adeo concidunt, vt operosa conciliatione scriptorum, qui interpretum errore dissentire videntur, prorsus non indigeamus.

Quod vt euidentius appareat, ipsa explicationum diuortia breuiter iustrabimus. Quae si dispertiantur, illius tantum ordinis ratio habenda est, quo opiniones de diuersa vtriusque scriptoris ab alterius profapia comprehenduntur: altera enim opinatio de eadem amborum progenie adeo veri dissimilis est (b), vt licet multis

*la genealogie que St. Matthieu fait de J. C. avec celle de S. Luc: nunquam conciliabitur genealogia Iesu Christi a St. Matthaeo conscripta cum ea, quam St. Lucas exhibet: et §. 17 p. 44 St. Luc se trompe, quand il dit, que Cainan fut fils d' Arphaxad et Salé fils de Cainan; la Genèse dit que Salé est fils d' Arphaxad chap. 10 et Salé fils de Cainan; fallitur Lucas quum refert, Cainanem fuisse filium Arphaxadis et Salam filium Cainanis, Geneseos enim capite 10 Sala filius Arphaxadis esse dicitur et Sala filius Cainanis, in quibus postremis verbis, ne sensu omnino desituantur, operarum errore non excidisse videtur.*

- (b) Duplici difficultate premitur haec sententia, plane insuperabili. Quamquam enim non inficiamur, vtrumque subinde euenire, vt tam iidem homines bina nomina gesserint, quam nonnullae generationes in progenie recensenda omittae fuerint, nemo tamen facile a se impetrabit, vt existimet, et in genealogia scribenda XIII generationes omitti potuisse, et in eadem profapia XXVI generationum XXIII homines fuisse binomines, et quod improba-

multis in mentem venerit, sectatorem tamen habuerit omnino neminem.

In hac vero sententia, qua interpretes, quod in oculos incurrit, vnius nimirum scriptoris sacri genealogiam ab alterius diuersam esse, statuunt, insignis opinionum varietas deprehenditur, quae ad duas classes reuocari poterunt, vnam illorum qui vtriusque genealogiam ad *Iosephum* referunt, alteram eorum quibus ab vno scriptore *Iosephi* ab altero *Mariae* maiores recenseri videntur.

Ad prioris opinionis partes dudum plerique interpretes transferunt, ex quo IULIUS AFRICANUS illam praeciuit in celebratissima ad ARISTIDEM epistola, quam EVSEBIUS (c) nobis conseruauit; cuius auctoritatem non solum vetustiores ciuitatis *christianae* doctores, qui patrum nomine veniunt, ad vnum omnes, verum etiam innumeri recentiores (d) secuti interpretationis suae

A 3

ratio-

probabilitatem mirifice auget, *Salomonem* licet germanum fratrem habuerit *Nathanem* dictum, eodem tamen nomine insignitum fuisse, et omnium denique regum *Iudae* a *Matthaeo* commemoratorum illa nomina, quae *Lucas* exhibet, in libris vet. test. vbi toties illorum mentio recurrit, nusquam apparere.

(c) *Hist. eccles.* lib. I. c. VII p. XXI - XXVI edit. *readingianae*; atque NICEPHORUS CALLISTVS *hist. eccles.* lib. I. c. XI p. LXX - LXXII. NATH. LARDNER integram epistolam inseruit libro *the credibility of the Gospel history* inscripto part. II cap. XXXVII vol. III pag. CLXVII - CLXXXIII, ipsamque interpretationem reliquis praestare sua aliorumque sententia confirmat. Antiquiorem illa auctorem haberet, quum in *quaest. et respons. ad orthodoxum* libro IUSTINO MARTYRI olim attributo, *respons.* LXVI p. CCCXXX iam compareat, nisi de recentiore illius scripti aetate nemo nunc ambigeret.

(d) Praeter argumentum antiquitatis et auctoritatis, quo se effert haec opinio, haud exiguum robur consecuta est fabulosa, dudum tamen et a faculo saltem quarto efficta, traditione de IOACHIMO et ANNA MARIAE virginis parentibus; quae tantum efficit, vt plerique *romanae* ecclesiae scriptores huc concedant. Licet enim cordatiores nonnulli commentitia haec nomina impugnauerint, in quibus eminent SEB. LE NAIN DE TILLEMONT *mem. pour seruir a l'hist. eccles.* tom. I p. CCCCLVIII etc. et IAC. HYAC. SERRY in *exercitationibus historicis, criticis, polemicis de* *Christo*

rationes ita subducendas esse putarunt, vt existimarent duplicem locum habere generationem et genealogiam *naturalem* vnā, alteram *legalem*, qua praeter procreationem sobolis naturalem legum dispositione filius alterius censetur, vel adoptione nuncupatus et adicitus, vel haereditatis iure et successione in bona successus, vel inter *Israelitas* per legem leuiratus *Deuter. XXV com. V* etc. homini vita functo ex vidua relicta, a fratre vel consanguineo et gentili proximo susceptus.

Neque tamen tot interpretibus has partes professis inter se conuenit, qui bifariam discefferunt, vt nonnulli, pauciores tamen, IACOBVM a MATTHAEO commemoratum naturalem IOSEPHI patrem fuisse existimauerint, ELI vero apud LVCAM legalem; arbitrati, et proprietatem locutionum in vtroque scriptore obuiarum id requirere (e), et promissionibus DEI regnum SALOMONI posteris que

*Christo eiusque virgine matre, exercit. XVIII §. III p. CXXVII* etc. a ple-risque tamen non confutati, sed indignatione et censura excepti sunt, ex quibus honoris causa vnum excitabimus instar omnium summum nostri temporis Pontificem BENEDICTVM XIII, a quo in libro an. MDCCXXXIX edito, inscriptoque, *Annotazioni sopra le feste di nostro Signore e della beatissima vergine, secondo l'ordine del calendario romano* part. II §. CXXXVIII -- CXXXVI vol. p. CCCXXXIII, hi duumviri vna cum ADR. BAILLETO, qui idem sensit, *tropo seueri critici*, nimium seueri critici vocantur. Neque in coetibus a *romana* doctrina alienis patronis caruit haec sententia postquam et MART. LUTHERVS libro *vom Schem Hamborafsch und vom Geschlecht Christi*, operum tom. XX p. MMDXXVIII etc. editionis Halensis §. LXXXIII inprimis et CXX -- CXXXV, et IO. CALVINVS in *commentario in harmoniam euangelicam*, p. XX -- XXIII editionis anni MDCLXVII, et SIM. EPISCOPIVS in *respons. ad quaest. theol. LXIII* respons. I operum vol. I part. II p. I etc. vna cum HVG. GROTIO in *annotationibus in libros euangeliorum* p. VIII -- XII et p. DCXXXVIII -- DCLVIII editionis an. MDCXXXI, illam amplexi sunt atque copiosissime exornandam tuendamque sumferunt.

(e) Scilicet *evangelice* naturalem procreationem significare, *evangelico* vero subditum patrem subinnuere videbatur, quod posterius speciosius adduceretur, si post mentionem IOSEPHI factam illa verba legerentur, *us evangelico*, non ante eandem vt aperte ad ipsum IOSEPHVM opinione hominum IESU patrem habitum referantur, non ad ELI reliquosque maiores.



ferisque ipsius polliciti idem conuenientius esse (*f*): alii autem longe plures a IULIO AFRICANO cum AMBROSIO dissenferint, atque naturalem IOSEPHI profapiam LVCAE vindicarint, legalem MATTHAEO dederint; opinati tam consilium finemque vtriusque scriptoris hoc postulare (*g*), quam ipsam formulam exordii apud LVCAM idem significanter satis indicare (*h*). Atque haec posterior sententia dupliciter opinabilis est: vt legalis illa generatio et profapia apud MATTHAEVUM vel ex lege leuiratus ope fratriarum (*i*) deriuetur, vel ex successione cognationis proximae gentem domumque sine prole defunctorum ingressae (*k*), siue matrimonia

(*f*) Et *Pf.* LXXXXVIII vna cum CLXXXII et II *Sam.* XXXIII com. V, huc trahunt, qui ita sentiunt; licet in neutro SALOMONIS mentio appareat, perperamque ad ipsum solum referantur, quae de posteris DAVIDIS vniuersè referuntur; et *Pf.* LXXII, I *Chron.* XXII com. VIII etc. I *Reg.* II com. III etc. quae tamen promissiones cum conditione factae fuerant, qua neququam impleta dudum cessauerant sine detrimento fidei DAVIDI ipsiusque posteris datae et saepius confirmatae.

(*g*) Quum MATTHAEVUS in *Iudaeorum* maxime gratiam historiam IESV scripserit, LVCAS vero et post illius scriptiorem et gentium inprimis causa narrationem suam in litteras retulerit; improbabilis omnino esse videtur, voluisse posteriorem ad memoriam successiõnum conseruandam, quae a solis *Iudaeis* intelligi potuissent, a prioris genealogia discedere eamque in falsi suspicionem adducere.

(*h*) Recte obseruant, qui hoc statuunt, formulam *vs inquit* ad IOSEPHUM duntaxat pertinere; quod tamen, vt confessim apparebit, ipsam hanc interpretationem euertit.

(*i*) Vetusissima haec opinio IULII AFRICANI, quae IACOBUM MATTHAEI et ELI LVCAE fratres vterinos fuisse, vnumque alterius sine sobole defuncti viduam duxisse, ex eaque fratri filium suscepisse perhibet, assentatores habuit bene multos. Alii tamen opinatores circumspectiores legem leuiratus rectius edocti, quae certe ad vterinos fratres sine familiarum confusione pertinere non potuit, matrimonia viduarum cum cognatione maritum ex gente paterna excogitarunt, quotiescunque hoc subsidio ad profapiam ordinandam efficiendamque opus esse videbatur.

(*k*) Operosissime in hac sententia exornanda confirmandaque elaborauit PETERUS POSSINVS in *diallectico theogenealogico, siue de genealogia Iesu Christi dei ac domini nostri libro singulari*, qui cum BALTH. CORDERII  
*symbo-*

trimonia accesserint, siue cognati haereditatem adierint, siue ductis viduis aut filiabus.

Non prosequemur hic singulorum vestigia; neque audiendis altercationibus vacabimus, quibus suam quisque opinionem defensum reliquorum impugnatum ire sategerunt, qui huic sententiae assensu sunt; sed rationes tantum subiiciemus, cur cum eadem facere nequeamus. Quae huc potissimum redeunt, et penitus abhorrere hanc enarrationem maiorum, quos legales dicunt, a sine vnico tabularum genealogicarum, atque non solum in tanta genealogiarum a scriptoribus vet. testamenti litteris traditarum copia exemplis plane destitui; verum etiam consuetudini repugnare referendi filium ex lege leuiratus fratri vel cognato defuncto procreatum ad patrem naturalem non legalem in tabulis familiarum conficiendis, cuius obseruationem *Obedi* ab vtroque scriptore sacro commemoratus pater *BOAS* indubiam reddit (1): et omni necessitatis specie carere vniuersam hanc opinionem, cui saltem efficiendae ambae rationes adduci solitae nequaquam sufficiunt, quum neque ex *SEALTHIELIS* et *ZOROBABELIS* mentione ab vtroque scriptore facta euinci possit, eosdem fuisse homines in vtriusque tabulis memoratos (m); neque profapia ab vtroque scriptore ad

IOSE-

*symbolarum graecorum patrum in Matthaeum Tomo I Tolosae* prodiit anno MDCXXXVI, vbi a pag. CCCLXXXVII ad DLXXVIII deprehenditur. Eandem recentissime adstructum iuerunt scriptores *angli historiae orbis terrarum vniuersae* vol. VIII §. CCXI editionis *germanicae*, in cuius animaduersionem CLXXXII potiora argumenta coniecta sunt, quae ad illam confutandam sufficiunt.

(1) Ex libro *RUTH* III com. X. XVII etc. compertum habemus, *BOAZUM RUTHEM* duxisse *MAHLONIS* viduam ad legem leuiratus, ex eoque suscepisse *OBEDVM*; debuisset igitur ab alterutro saltem scriptore sacro vel *MATTHAEO* cap. I com. V, vel *LVCA* cap. III com. XXXII *MAHLONI* imputari *OBED*, si patres ex hac opinione legales dicti in maiorum censum venirent tabulisque profapiae inscriberentur.

(m) Inprimis si frequens mentio *ZOROBABELIS SEALTHIELIS* filii, principis *IYDAE* ex familia *DAVIDIS*, in vaticiniis bene multis facta, *Hagg.*

IOSEPHVM MARIAE coniugem referatur in eoque terminetur, vt qui a I.VCA, si recte intelligitur, quod illico euictum dabimus, diserte ab eadem excluditur: et, quod maximum sane ad hanc causam disceptandam momentum habet, vtriusque scriptoris sacri genealogiam nihil omnino facere ad procreationem IESV MARIAE filii ex DAVIDE comprobendam, si vtraque IOSEPHI duntaxat maiores exhiberet, quarum alterutra certe, inprimis a I.VCA conscripta, longe felicius careremus, si nihil efficeret amplius, quam quod ex MATTHAEO dudum egregie constiterat, IOSEPHVM DAVIDIS sobolem fuisse, atque vt, quod res est, fateamur, hoc ipsum alterata maiorum progenie incertius redderet et difficultatibus implicaret nemini quidquam profuturis (n).

Pro-

Hagg. I com. I. XII. XIII. cap. II com. III. V. XXII. XXIII. Zach. III com. VI. VII. VIII. X, neque minus Efr. II com. II, cap. III, com. II, cap. III com. II et cap. V com. II, comparatur cum diuina comminatione Jer. XXII com. XXVIII et XXX atque recensione posterorum IECHONIAE, quae I Chron. III com. XVII etc. deprehenditur: vnde apparet, ZOROBABELEM hunc, principem IVDAE SEALTHIELEM filium, ad SEALTHIELEM IECHONIAE filium referri non posse, si verbis Dei veritas fidesque constare debeat, sed ad aliam familiam posterorum DAVIDIS, quam NATHANIS fuisse, ipsa peculiaris et honorifica gentis huius commemoratio Zach. XII com. XII obuia significare videtur.

(n) Grauiissima illa difficultate parum leuatur haec sententia responsionibus, quas ad iuuandam causam suam excogitarunt illius defensores: dum perhibent, primum aliunde satis effici posse procreationem IESV ex DAVIDE atque tot disertis scriptorum diuinitus actorum testimoniis confirmari, vt nouo argumento a profapia MARIAE ducto non indigeat; praeterea dandum id fuisse tam erroneae opinioni, quam perpetuae consuetudini Iudaeorum, vt genus et profapia IOSEPHI enarraretur, quem non solum patrem ipsius fuisse putabant, sed in cuius progenie IESVS in tabulis gentis referendus, collocari debebat ex more recepto, quo matrum ratio nunquam habebatur in censu familiarum agendo, nec quisquam genti maternae sed paternae tantum adscribebatur; IOSEPHI denique familiam eandem fuisse cum gente MARIAE, atque adeo hanc ex illa euinci posse, siue MARIAE conditio cogitur, quae filia *ἐκκλησίας* seu haeres patrimonii fuisse videatur, cui per legem

B

MOSIS

MXXI. q

Progredimur nunc ad posterioris sententiae ex supra commemoratis explicationem, quae ipsa aeque bipartita est. Placuit

MOISIS alii quam cognato paterno nubere non licuerit, siue IOSEPHI religiosus legumque diuinarum obseruantissimus animus consideretur, quo ab vxore extra cognationem ducenda, satis prohibitus fuerit. Valde enim veremur, vt haec cuiquam satisfaciant. Prima certe responsio rem intactam relinquit, atque, licet ingenua sit, vnamque difficultatis partem facile effugiat, alteram tamen nihil immittit, sed vehementer adauget, adeo vt cum sapientia diuinae inspirationis plane consistere nequeat. Altera, verior certiorque est, neque omnino nihili facienda, si de alterutro scriptore sacro disputatur, de vtroque vero eo minus valere potest, quo veri dissimilius est, LVCAM ignorasse genealogiam a MATTHAEO conscriptam, et voluisse vel actum agere videri vel errorem *Iudaeorum* ad alias gentes transmittere; inprimis quum consuetudini genealogiarum commemoratae mentione aut materni commode satisfieri poterit, sine matris nomine discrete posito. In tertia vero responsione quum lex diuina *Numer. XXXVI* com. VI. VIII latinus extenditur quam vere patet, quae neque filiae haeredi necessitatem nubendi cognato, vel intra familiam proximam, sed in tribu tantum imponebat, neque viris extra tribum ineundis matrimonii interdicebat, quae indubius religiosissimorum hominum exemplis confirmantur, inprimis si conferatur *Iudic. XXI*, com. I; tum bene multa finguntur, quae longe facilius conuellantur, quam vel cum aliqua veri specie comprobantur. Nulla saltem haereditas, quae ad MARIAM spectaret, legi huic excitatae eandem obnoxiam reddere potuisset, quam patrimonium *betlehemiticum* familiae DAVIDIS, cuius tamen haeres esse non potuit, superflite IOSEPHO, ad quem vt indubiam sobolem SALOMONIS illa haereditas integra pertinebat. Neque plus roboris habent, quibus alii opinioni huic subnectere voluerunt, vel IOSEPHUM fuisse patrum MARIAE parentibus orbae, IOACHIMI fratrem, atque adeo ad illam ducendam lege obligatum, quod vtrunque a POSSINO fingitur: vel virginis ex familia DAVIDIS vaticiniorum de MESSIA memores noluisse aliis, quam cognatis ex eadem gente nubere, quod *anglis historiae vniuersae* scriptoribus placuit; licet in illis vaticiniis nihil deprehendatur, quo aliarum familiarum foeminae ex progenie maiorum *Messiae* excludantur, atque perspectus ille sensus vaticinii *Is. VII* com. XIII obuii, quem euentus manifestauit, eandem ad inuicem matrimonii arcere potius debuisset, quam ad cognationis proximae nuptias ambeundas compellere. Dabimus, antequam finiamus, verba ISAACI OROBII, vnius *Iudaeorum* modestissimi facile doctissimique, qui in *tertio scripto, amicae collationis* PHIL. A LIMBORCH ad quae. I. num. XLVIII p. LXXIII

cuit enim nonnullis, longe tamen paucissimis, MATTHÆI genealogiam

p. LXXIII etc. editionis MDCLXXXVII hæc disputat. „Parentum  
 „Messiæ notitiam neque Euangelistæ certam dedere, sed maxima cum dif-  
 „ferentia, vnus per *Salomonem*, alter per *Nathanem*, filios *Dauidis*, lineam  
 „generationis deducens. Quam impossibilitatem vt doctores componerent,  
 „duas lineas, naturalem et legalem, adiuuenerè, tot cum difficultatibus, vt  
 „vix intellectus humanus capere possit: sicut ab *Iosepho* ad *Zerubabelum* di-  
 „uersos auos et proavos diuersorum nominum excusatione, vel nescio qui-  
 „bus legalibus matrimoniis excogitatis, euadunt. Præterea parentes *Christi*  
 „Euangelistæ minime retulerè, qui cum ex sola matre carnem assumerit,  
 „cum parentibus *Iosephi* nil commercii habebat, ab ipsis non genitus.  
 „Quare frustra videntur nominari patris putatiui generationes ad eum haud  
 „pertinentes. Non ignoro quas solutiones commentatores satis ingeniose  
 „fuerunt meditati, ex quibus et magna earum diuersitate colligo, quod non  
 „solum in Prophetis, sed neque in nono testamento *Christi* parentes fuerunt,  
 „ita designati, vt hominibus certe constaret, qui fuerint et quod ex femine  
 „*Dauidis* fuisset oriundus. Quod plerimi *christiani* doctores fatentur, as-  
 „serentes quod cum *Iesu* cognatio fuisset omnibus satis nota, Euangelistæ  
 „de illius declaratione non multum curarunt. Quod etiam plane concedit  
 „*Iohannes Caluinus*, dicens: quod cum *Iosephus* et *Maria* in adeo abiecto sta-  
 „tu, paupertate et despectione essent, nibilo regii in ipsis apparente, scandala-  
 „rum in hac genealogia Euangelistæ vitare conabantur, siquidom ex ipsa non  
 „liquido probari potest, ex *Dauid* originem habuisse *Mariam*. Et miror,  
 „quod quum fere cum omnibus fateatur *Caluinus*, quod *Christus* non pro-  
 „cedit naturaliter ex *Salomone*, quod paulo post dicat: quod si præscindu-  
 „mus *Salomonem* ex *Mariæ* genealogia, *Christus* non erit amplius *Christus*.  
 „Et quid magis præscindere est, quam ex suo femine non esse progeni-  
 „tum? Huic obiectioni alibi respondet, quod quamuis naturaliter non fuisset  
 „ex *Salomone* natus, hoc non obstante per ordinem quandam legalem eius  
 „filius putatur, quia descendit ex regibus *Judæ*. Hæc certe non intelli-  
 „go. Aliorum acrius et impudentius dicta legi possunt in *Nizzachon veteri*,  
 „apud IO. CHRISTOPH. WAGENSELIVM *teclorum ignorum satanae*,  
 „vol. II p. LXXXIII etc. et in *Christus Emusab* part. II cap. I et XXXV  
 „apud eundem p. CCCLXXXVIII et CCCCXXVII etc. atque in R. LIP-  
 „MANNI *NIZACHON* a THEODORICO HACKSPAN edito p. XII etc.  
 „vbi id vnum vehementissime vrgetur, *Mariæ* profapiam ignorari neque  
 „ex *IOSEPHI* maioribus patere, huius vero generatione vel accuratissime  
 „cognita, nihil profici ad euincendam ex *DAVIDE* procreationem, legales  
 „vero procreaciones perperam fingi.

giam MARIAE, LVCAE autem IOSEPHO attribuere (o): plurimis vero harum partium interpretibus contrarium statuere, atque priorem profapiam ad IOSEPHVM, posteriorem ad MARIAM referre visum est. Qui licet neque per omnia idem sentiant eademque via procedant (p), neque numero et multitudine superiores sint (q), rationibus tamen et argumentis nemini concedunt. Possunt illae ad quatuor capita commode reuocari.

Prin.

(o) Recentissime in hac opinionem concessit scriptor libri, qui *Tubingae MDCCXXXI* prodit, *entdeckte Stärke des Grundes der offenbarten Weisheit etc.* pag. CLXI etc. Quae, si quid perspicimus, his rationibus nititur et vaticinia de SALOMONE eiusque posteris, qui iudibie typi Christi fuerunt, maximopere id velle, et proprium verborum a LVCA positurum significatum ordinemque sic rectissime conseruari. Falso autem haec statui ea, quae supra (f et m) disputauimus, atque confessum proferemus, satis commonstrant.

(p) Tam in verbis LVCAE III com. XXIII explicandis, quibus nonnulli IOSEPHVM generum ELI improprie filium vocari existimant, quam in conferendis vtriusque scriptoris sacri tabulis, MATTHAEI inprimis, cum veteris testamenti scriptoribus.

(q) Si scriptorum numerus inueatur, non interpretum, qui sine assensione data opera causam examinarunt. Quorum hic censum non agemus, illos tamen nominabimus, qui a veri certique cupidis, si prolixiores discussiones desiderant, prae reliquis conferri merentur. Pertinent eo praeter commentatores nostrates MART. CHEMNITIVM, ABRAH. CALOVIVM, CAR. HILD. DE CANSTEIN, IOH. REIN. RVSSIVM, IOACH. LANGIVM, PAVL. ANTONIVM, CHRISTOPH. STARKIVM et IO. ALB. BENGELIVM, tam MICH. WALTHERI *harmonia biblica* p. DCCLVI--DCCLXXII, editionis MDCLXV, IO. MICH. LANGII *de genealogia Christi ex patribus secundum carnem dissertationes theologiae*, quae MDCCIII prodierunt, et IO. IAC. SCHMIDII *genealogiae biblicae* cap. II p. CCLV -- CCLXXIII libri, qui inscribitur *biblischer Historicus*; quam FRID. SPANHEMII *dubia euangelica* part. I dub. III -- XXVI p. XIII -- CCXV, MATTH. POLI *synopsis criticorum etc.* vol. III p. XVI -- XXVII editionis MDCCCLXXVIII, FRANC. GOMARI *examen controuersiarum de genealogia Christi*, quod MDCCXXXI primum prodit, atque in ipsius operibus p. CCLXXXVIII -- CCCXII extat, IAC. ALTINGII *Schiblo* lib. II cap. VI operum tom. V p. XXXVIII etc. IO. IAC. HOTTINGERI *de genealogia Iesu Christi dissertationes* II, quae in *thesauro nouo theol. philo.*

Princeps illarum proprietate verborum absoluitur, a qua in neutro scriptore sacro recedendum est. Vtraque igitur voce, et generationis commemoratione et filii denominatione, naturalis et propria significabitur procreatio; non impropria et legalis, mediata tamen et remotior non minus quam immediata et proxima, ut feri nepotes ab auis, proavis, abavis, atavis aeque generati et procreati dicantur eorumque filii vocentur quam patrum. Quam ob rem LUCAS pariter ac MATTHAEVS maiores naturales, ille MARIAE, hic IOSEPHI enarrat, sed ordine inuerso diuersoque initio: ut MATTHAEVS ab ABRAHAMO ad IOSEPHVM descendat, LUCAS a MARIAE patre, CHRISTI AVO, ad ADAMVM adscendat, si, quod vis vocum et res ipsa postulat, cum haec verba, *ὡς ἐνομιζέτο υἱὸς Ἰωσήφ*, in parenthesi collocentur, atque sermonis consecutio cap. III com. XXIII etc. sic transferatur, *qui erat, quum haberetur filius Iosephi, Eli filius, Matthai filius, Leui filius etc. (r)*,

B 3

tum

philologico vol. II p. LXXIII -- LXXXVI deprehenduntur; IO LIGHTFOOTI *harmonia euangelistarum* operum tom. I p. CCCL etc. et *bor. hebraic. in Lucam* oper. tom. II p. DIII etc. WILL. WHISTONI *short view of the chronologie of the old test. and of the harmony of the four evangelists* p. CLXVIII -- CLXXXIII, et RICH. KIDDERI *demonstration of the Messias* part. II chap. VI -- XV p. CCCXVI -- CCCCLV editionis MDC-LXXXVIII; neque minus IO HARDVINI *chronologia vet. test.*, operum selectorum p. DCXVIII -- DCXXIII, AVGVSTINI CALMETI *diff. de conciliatione genealogiarum Iesu Christi apud S. Matthaum et S. Lucam, versionis mansianae* tom. II p. CXI -- CXVIII et FERRII (d) *exerc. XXXIII* p. CCLXXXVIII -- CCLXXXIII. Plures exhibent IO. CHRISTOPH. WOLFFIIVS *curar. philol. et crit.* vol. I. p. VI -- VIII et DCIII etc. et MICH. LILIENTHAL *Archivarii biblici nou. test.* p. XV etc. et CLXXXII.

(r) Ne temere et sine ratione parenthesin hanc requirere, aut his eandem limitibus circumscribere videamur, argumentis rem conficiamus. Participium *ὡς*, quo scriptor propositionem exorditur, et quod his verbis *ὡς ἐνομιζέτο* etc. proxime excipitur, sensu penitus deslitueretur atque non otiose tantum, sed ad turbandum etiam ordinem impediendamque sermonis intelligentiam positum videretur, nisi post interruptum sermonem ad ea referretur, quae consequuntur, et cum illis copularetur ad plenam enuntiationem con-

tum postremae voces commatis XXXVIII, aequae ac praegressarum locutionum sensus, ad IESVM referantur, non ad ADAMVM, qui IESVS erat Dei filius (1).

Alteram rationem suppeditat finis tam utriusque scriptoris sacri, quam LVCAE inprimis, cum in tradenda alia genealogia, quam quae auctore MATTHAEO iam innotuerat, tum in eadem illi parti narrationis suae inferenda, in qua comparet; qui certe constare nequit, nisi existimemus, eo consilio LVCAM accessisse ad proficiam IESV enarrandam, non ut MATTHAEI narrationem sollicitaret et in falsi suspicionem adduceret, sed ut postquam ille in libro IVDÆIS proxime destinato eam progeniem exhibuerat, qua

constituendam. Praeterea esse et reputari seu haberi, sicut et *νομιμα*, discrete hic sibi invicem opponuntur atque adeo inter se pugnant, ut necessario providendum sit, ne utrumque verbum ad eandem rem referatur, quod sine aperta contradictione fieri non potest: factum tamen est ab illis, qui parenthesis vel excludunt vel solis vocibus *ὡς* *νομιμα* terminant; ex quorum opinione IESVS maiorum hic recensitorum soboles filiusque vere esse, simulque reputari haberique duntaxat dicitur. Longe denique periculosius ea inter se pugnare, sed significatum prioris verbi posterioris accessione explicari et restringi, indicarique omnino hanc maiorum seriem non aliter ad IESVM referri potuisse, quam prout IOSEPHI filius habitus et reputatus est. Quo ipso affirmaretur, IESVM haberi reputarique tantum semen DAVIDIS Deique ipsiusmet filium. Particulam vero *ὡς* non comparationi adeo non semper reddi posse sicuti, prout, sed quam etiam indubiis exemplis euincitur, Luc. I com. XXIII. XXXXIII, cap. II com. XV et XXXVIII. Atque ne omnino quidquam sine teste perhibeamus, de nepotum comprehensione sub filiorum denominatione excitamus II Sam. XVIII com. XXIII et Gen. XXVIII com. V; de iterata vero repetitione vocis *filius* subintellectae Gen. XXXVI com. II.

(1) Eminentiore longe ratione, quam qua ADAMVS cum posteris sic insigniri potuit, et quae ultra miraculosam ex MARIA procreationem ad ipsam diuinitatem aeternamque generationem spectat, qua IESVS MARIAE filius ob vnionem personalem diuinam cum humana ipsius natura non adoptiuus, sed naturalis Dei filius rectissime dicitur.



qua efficeretur IESVM, etiam si ex opinione sui temporis et loci a maiore populi parte IOSEPHI filius haberetur, filium DAVIDIS esse et semen benedictionis patriarchis promissum, ipse nunc verior rem illius prospiciam non ad opinionem hominum accommodatam (t), sed ex MARIAE maioribus deductam posteritati transmitteret, atque lectores de vera conditione illius commonefaceret, ipsamque DEI testificationem solemnem explicaret et illustraret com. XXII enarratam, qua ad legationem publice obeundam diuinitus initiatus fuerat. Incommodo sane loco planeque inepto hic occurreret genealogia CHRISTI, nisi ad illam testificationem DEI respiceret, eiusque cum rationem redderet tum fidem faceret, atque demonstraret, recte vaticiniis fideique DEI ab hominum memoria datae conuenienter summoque iure humano aequae diuino IESVM, MARIAE filium, DEI voce declaratum fuisse filium legatumque DEI omni veneratione et obsequio prosequendum.

Tertia accedit ratio, quae exinde desumitur, quod alia interpretatione nulla scriptorum sacrorum contradictio euitari, aut illius accusatio conuelli euertique potest, si ab hac sententia discesserimus. Quod neque partium studio, neque ut causae conelamatae optulemur, fieri debere requirimus, sed ex legibus interpretandi summo iure ab interprete exigimus, ut illum sensum sermonis explicandi, qui a contradictione immunis est, aliis interpretationibus praeferat, quibus scriptorum loca diuersa inter se committuntur, vel aduersa et secum pugnantia efficiuntur.

Quartam denique *Judaeorum* testimonio debemus illustri sane et magni momenti. Quum enim in *Talmude hierosolymitano* (u) dilerte commemoretur MIRIAM filia ELI, quae per visio-

(t) Si rationes ita subducuntur, apprime conueniunt illa verba LUCAE *de Eua-  
gelo. uide. Iuodiq.*, quae haud obscure ad alteram CHRISTI genealogiam a  
MATTHAEO traditam lectores remittunt, ad omnem contradictionis vel  
leuissimam suspicionem euitandam.

(u) Luculentum hunc locum excitauit clariss. CHRIST. SCHOETTGE-  
NIVS

nem ibi in inferno exquisitis cruciatibus affici dicitur; in *babylonico* (x) vero IESVM perhibeant regiae cognationis fuisse; indubium est, siue MARIAE patrem aliunde quam ex LVCA comperitum habuerint, siue *Christianorum* sermonibus cognouerint, pro-

*NIVS horarum hebraicarum et talmudicarum de Messia* lib. VIII c. II §. XIII p. DCCII etc. recitatisque verbis, quae in *talmudis hierosolymitani tractatu Sanhedrin* fol. XXIII col. III et in glossa RASCHII ad tractatum *Sanhedrin* fol. XXXXIII col. II *talmudis babilonici*, fide LIGHTFOOTI in *centuria chorographica Matthaeo praemissa* cap. XIII deprehendi existimauerat, ita concludit, IOSEPHVS filius fuit Eli *Luc. XIII com. XXIII: igitur notitiam aliquam confusam hic deprehendimus. Glossa Raschii inexpurgata narrationem hanc equidem profert, sed de Maria nihil habet. Paulo distinctior euadit haec notitia antiquiorum Iudaeorum de MARIA, si LUCAS non patrem IOSEPHI, qui IACOBVS fuit, MATTHAEO teste, sed ipse MARIAE ELI vocauit, quod aliunde satis commonstrasse nobis videmur. Praeterea in ipsis a LIGHTFOOTO allegatis locis transcribendis aliquantum errauit scriptor alias accuratissimus, quae tamen hallucinatio ipsa confusione in excitato LIGHTFOOTI loco obuia facile excusabitur. Is enim post recitata quaedam RASCHII verba, per saltum, lectore non commonefacto, ad recitanda verba *Talmudis* delabitur ex *Sanhedrin* defuncta, quem cum RASCHIO communiter allegauerat, quod utrobique narratio rei *Afcalone* gestae, a *Simeone ben Schetaab* enarratur. Noluit igitur LIGHTFOOTVS RASCHIVM testem producere mentionis de MARIA factae, sed poenae a *Simeone* dandae. Bis vero exstat haec mentio MARIAE in *talmude hierosolymitano*: praeter breuiorem locum iam commemoratum longior deprehenditur in tractatu *Chagiga* fol. LXXVII col. III חמנה למרים ברת עלי בצלי, et quae sequuntur. Respici autem his verbis ad MARIAM IESV matrem, non solum ex ipsa narratione verisimile est, verum etiam ex illis locis *talmudis babilonici* confirmatur vbi eadem, quam סטדה *Stada*, vel, vt a nonnullis *Iudaeis* legitur, *Sattada* vocari solet, *Miriam* seu *Maria* appellatur, licet perperam *Magdala* seu *Megadela* cognominetur, quod ex *Sanhedrin* fol. LXVII col. I et *Chagiga* fol. III col. II satis apparet. Neque obstat temporum ratio, quam obicere solent *Iudaei*, quorum recte computandorum admodum incurii fuerunt *gemarae* fictores.*

(x) *Massichtae Sanhedrin* fol. XXXXIII col. I haec leguntur, אלא שאני ישו וקרוב למלכות הווי, quae de fauore et gratia apud regem intelligi neutiquam possunt, quorum a *Iudaeis* trahuntur, si hoc argumento pre-

sapiam CHRISTI A LVCA consignatam eo tempore non ad IOSEPHVM sed MARIAM relatum fuisse, quidquid et *Christiani* veteres deinde statuerint, et *Judaeorum* alii de STADA IESV matre effinxerint.

Emensi iam primam partem stadii, quod decurrendum nobis designauimus, alteram ingredimur vindicatori has tabulas genealogicas ipsamque IESV profapiam ex illis efficiendam ab infestis oppugnationibus, quibus a maledicis conuitiatoribus sollicitatur et lacepsitur (y). Partiemur has vindicias in tres classes pro diuersitate scriptorum impugnantium, ut primum difficultatibus satis fiat, quae contra MATTHAEI genealogiam vrgentur, deinde ea discutiamus, quae in LVCA offensionem fuerunt, et illis tandem insultibus obuiam eamus, quibus ambo communiter petuntur.

Impetus, quibus MATTHAEVS patuit, huc fere recidunt, aperte illum disfidere a scriptoribus veteris testamenti, tam duplici omissione desultoria et trium maiorum *Vsiae* et decessoris parentisque *Iechoniae*; quam falsa et erronea designatione patris *Zorobabelis*; quem non *Sealthielem* sed *Phadaiam* fuisse ex I *Chron.* III com. XVII-- XVIII appareat, perperamque inserta mentione fratrum *Iechoniae* contra fidem historiae diuinitus in litteras relatae; neque excusari posse hanc discordiam distributione tessaradecadum, et sine ratione suo arbitratu facta et nihilo secius ne obseruata quidem exacte: atque operosa denique recensione maiorum

non

(y) Proderit haec discussio simul ad ipsam intelligentiam scriptorum factorum rectiorem pleniorque efficiendam, atque ad scrupulos illos eximendos, qui vel optimo cuique iniiciuntur animoque veri certique studiosum sollicitare possunt, et suspensum tenere, si facultate et praesidiis ad eiusmodi disquisitionem necessariis destituitur. In confutandis autem his aduersariis cum *Judaeis* potissimum congregiendum esse putauimus, quod recentiorum irrisorum petulantia et effrenata libido vim illorum nondum aequauit, qui in sacerrimo hoc bello doctrinae CHRISTI inferendo antiquitus pro aris et focis pugnarunt, et quorum armis non solum praeseci diuinitatum cultores vti sunt in hac decertatione, ut ex CELSO apud ORIGENEM, PORPHYRIO apud EVSEBIUM et IULIANO apud CYRILLVM patet, verum etiam recentiores irreligiosi gladiatores se armare solent.

C

NON IESV AUT MARIAE, sed IOSEPHI, vel sibi non constare et hunc illius patrem perhibere vel sine suo excidere, nihilque omnino conferre ad perspiciendam illius progeniem veram et certam (z).

Singula diluemus breuiter Exprobrationi praetermissio-  
num generatim et vniuersè opponimus genealogiam posterorum  
*Aronis ad Seraiam vsque Esr.* VII com. I-- V et *i Chron.* VII vel  
VI com. III-- XIII exhibitam, cuius apud priorem scriptorem  
duplo plures desiderantur generationes a posteriori commemora-  
tae, quam MATTHAEVS praeteriit. Vt igitur duo exempla eius-  
dem prosapiae vera ambo esse, neque vere discordia dici possunt,  
neutrum certe falsi et erroris argui, etiamsi numerus maiorum  
vnius alterius prolixioris et plenioris numero superetur: insigni-  
ter sane praeuaricantur, qui *ESRAM* errasse lectoresque sefellisse  
vehementer negant, quod summo iure faciunt, MATTHAEVM  
vero vel erroris vel falsi fraudisque reum agunt, quod sine impu-  
dentissima calumnia fieri nequit.

Sed vt propius et figillatim vtrique insimulationi respondeamus,  
neque hic ad computum tesseradecadum prouocemus, quem deinde tuebimur, MATTHAEVM praetereundi filium, nepo-  
tem et pronepotem *Iorami, Abasiam, Ioasun* et *Amazian* grauem  
et fonticam causam habuisse arbitramur, si a vituperatoribus  
discesseris, cuius facile approbandam. Duxerat nimirum *Io-  
ranus Athabiam, Achabi* et *Iesabelis*, scelestissimorum parentum,  
filiam, *Ethbaalis Sidonii* neptem, cuius consiliis ad caedem sex  
fratrum et publicum fictarum diuinitatum cultum, innumeraque  
flagitia atrocissima abreptus, grauissimam DEI indignationem me-  
ruerat, ipsique tam internecone filiorum vnico superstite natumini-  
mo *Abasia*, quam exquisitis cruciatibus exitialis morbi integrum  
biennium poenas dederat, atque effecerat, vt non solum solemni  
ciuium

(z) Triplicem hanc accusationem R. *IZCHAR* exhibet libri *Chisbuk emu-  
nah* part. II cap. I p. CCCLXXX edit. *wagenfeldianae*: postremam virulen-  
tius vrget *Nizzachon vetus* p. CLXXXVI etc. et p. LXXXVIII etc.

cinium sententia regia sepultura in decessorum confortio interdice-  
retur, verum etiam soboles parum abesset, quin iussissimo DEI iudi-  
cio diris et suppliciis in perditam *Achabi* posteritatem decretis in-  
uolueretur funditusque deleteretur. Quod vnus *Dauidis* gratia ad  
fidem ipsi datam liberandam ita temperare voluit veracissimus  
DEVS, vt execrabile scelus post numerosae cognationis *Abassae*  
caedes in quartam duntaxat generationem vlcisceretur, *Exod.* XX  
com. V, cap. XXXIII com. VII, atque tribus proximis successoribus,  
filio, nepote et pronepote, *Ioram*o haud dissimilibus, post varias ad-  
uersae fortunae calamitates publicas violenta morte absumtis (a), ab-  
nepoti demum conciliaretur et cum posteritate *Dauidis* in gratiam re-  
diret, cuius tamen retinendae posteris, qui *Vsiam* exceperunt, adeo  
incurii fuerunt, vt de perdenda cogitanter laborasse videantur,  
*II Reg.* XXI com XIII cap. XXII com XVI etc. Ipsi nunc iudicent  
quadruplicatores, cur praeteritio, quae in aliis scriptoribus sine ratio-  
nibus vlla diuinatione coniciendis excusationem habet, nostro scri-  
ptori vitio verti debeat, qui lectorum vsibus exempli adeo me-  
morabilis recordatione consultum iuit.

Alteram accusationem non inficiabimur, quod a nonnullis  
factum est ratione non plane improbabili, quum illa verba,  
*Ἰωάκίμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακείμ: Ἰακείμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰερχοβιάμ*, quae  
in nonnullis codicibus leguntur, a glossematis suspicione liberari  
nequeant, sed a librariis tam ad amoliendam hanc discordiam,  
quam ad numerum huius tesserae decadeos complendum, perperam

C 2

et

(a) Vberius haec narrantur *II Reg.* VIII com. XVI -- cap. XIII com. XX et  
*II Chron.* XXI com. I -- cap. XXV com. XXVIII: vnde praeterea constat,  
Deum *Iehu* vltori regnum confirmasse ad quartam generationem vs-  
que, vt ipsiusmet et posterorum imperio ipsi *Iudae* reges paruerint, longe  
saltem ipsis inferiores fuerint, nepotisque adhuc *Ioasi* iugum subierit *Amaz-  
ia Iorami* pronepos, grauissima clade debellatus. Qui in expedienda hac  
difficultate alia tentarunt, atque posteritatem *Iorami* penitus periisse regnum-  
que ad aliam familiam transiisse perhibuerunt, quod interpretes bene multi  
fecerunt, rem impeditiorem reddunt, nulloque auctore et teste proferunt,  
quae historiae sacrae repugnant.

et contra fidem vetustissimorum codicum, versionum et scripto-  
 rum inserta esse videantur, quod ipsa mentio fratrum *Iechoniae*  
 factis prodit, qui *Ioiakimo* dandi fuissent, si nomen ipsius hic com-  
 pareret. Factum igitur fatemur, sed culpam et errorem nega-  
 mus. Noluit omnino *Matthaeus* ex sobole proxima *Iosiae* nume-  
 rosa alium quam *Iechoniam* nepotem nominare, licet pater illius  
*Ioiakim*, aequae ac duo patruus *Ioachas*, quem ex *Ier.* XXII com. XI  
 postremum illorum, qui *I Chron.* III com. XV commemorantur,  
 siue *Saltham* fuisse perspectum habemus, et *Zedekias* regno prae-  
 fuerint, qui communi fratrum nomine hic comprehenduntur; cu-  
 ius usus latissime patet, ut iterati quartumque repetiti iudicii diui-  
 ni in *Iosiae* tres filios et nepotem memoriam communem renoua-  
 ret, quorum pertinaci crimine et flagitio tandem effectum est, ut  
 DEVS huic familiae luculento vaticinio *Ier.* XXII com. XXIII --  
 XXX regnum abrogaret, omnemque spem regnandi in perpetuum  
 adimeret (b).

Reliqua duo loca, quae MATTHAEO obijciuntur ut pugnan-  
 tia cum aliis scriptoribus sacris, breuius defendi possunt. *Zeru-  
 bablem*

(b) Perperam igitur a nonnullis existimatur, a IOSEPHO nutritio patre et vi-  
 trico IESU ius haereditarium regni *Israëlicae* ad hunc priuignum suum  
 transiisse, quo dudum exciderant posteris *Salomonis*, falsa veritate et fide  
 DEI, *Messiam Davidi* ex posteris suis regnumque huius seminis sui aeter-  
 num polliciti. Longius progreditur WILL. READING in eximio cetera libro,  
 quem inscripsit, *the history of our Lord and Saviour Jesus Christ*, cuius ter-  
 tia editio an. MDCCXXVI prodit, ubi part. I cap. IIII p. XXXV arbitri-  
 tur ex indubia doctrina, IESVM fuisse legitimum regem *Iudaeorum* inui-  
 dum argumentum desumi posse contra illos, qui IOSEPHO alios filios  
 vel ex MARIA vel ex alia coniuge praegressa tribuunt, quod regni haere-  
 ditatis tunc ad illos potius quam ad IESVM pertinere debuisset: quae tamen  
 opinio praeter alia nunquam efficienda supponit vel *Iosephum* ex numerosa  
 stirpe *Iechoniae*, quae *I Chron.* III com. XVII - - XXIII enarratur, solum  
 fuisse superstitem, vel adoptionem apud *Iudaeos* locum habuisse in er-  
 sitionem. Idem statuere videtur reuer. BENIGELIVS, qui *gromonis* p. X  
 sic pronuntiat: *Iesum pro Iosephi etiam primogenito haberi oportuit: quare  
 fratres Iesu fuisse consobrinos non compruigni.*

*babelem* MATTHAEI eundem fuisse, qui IChron. III com XVIII memoratur *Phadaia*e filius, non solum eodem iure negamus, quo aduersarii affirmant, verum etiam alio argumento comprobamus. IChron. III com. XVIII et XX numerosa proles *Zerubabelis* enarratur septem filiorum et vnus filiae, in quibus *Abiud* non comparet, quem genuit teste MATTHAEO cap. I com. XIII, et qui in excitato illo catalogo omitti non potuisset, quod posteritate non caruit (c). Alius igitur fuit *Abiudis* pater a *Phadaia*e filio, *Seal-*  
C 3 *thielis*

(c) Duplicit et mirifice adaugent difficultatem, qui *Phadaia*m a *Matthaeo* praeteritum fuisse existimant, vt *Zerubabelem Sealthielis* nepotem, *Iechoniae* pronepotem, efficiant, quod multis interpretibus placuit licet *Phadaia* I Chron. III com. XVIII. XVIII dixerit *Sealthielis* frater *Iechoniae* filius vocetur. Longe tamen tolerabilior est illa opinio sententia MATTHAEI HILLERI, quam disertationis *de genuina versione vocum, quae extabant in crucis dominicae elogio* cap. III p. CCCLXI - - CCCLXIII *Synagmatum hermeneuticorum* protulit, reuer. BENGELIUS veto *gnomonis* p. VIII etc. et XIII vltierus prosecutus est; *Abiudem* MATTHAEI eundem esse cum *Hodaia* seu *Hodaiahu* I Chron III com. XXIII commemorato, decimo a *Zerubabele*. Quo immani saltu adeo sibi placuit, vt serio opinetur, MATTHAEVM cogitanter et prudenter integram tesseradecadem praeteruisse, quae his noem posteris *Zorababelis*, eiusdem patre *Phadaia*, tribus posteris *Iorami*, et patre *Iechoniae* conficiatur, neque mysterio id carere ad tres temporum periodos constituendas, quas ex arbitrio deinde computat. Dabimus ipsius verba: „Omnino XIII generationes inter *Ioram* et *Abiud* praetermittit „*Matthaeus*: concinneque ab *Abram* ad *Christum* tesseradecades, tribus „pro numero periodorum expressis, quatuor tamen innuit. Tali pacto „*Matthaeus* ab *Abram* ad natiuitatem *Christi* habet implicite generationes „LV. Valde et dolenter veremur, ne ficta hac concinnitate fides scriptoris sacri in discrimen coniciatur, nulla distinctione sensus impliciti et expressi auertendum. Non ferenda esset opinatio, etiamsi liber chronicorum disertam *Abiudis* mentionem faceret, ob indubiam plurium hominum communiatem eiusdem nominis: quae inexcusabilis plane videbitur cuius sollicitate secum reputanti, et quot fideiculis opus sit ad *Abiudem* in *Hodaia*m transformandum, et quantopere periclitetur diuina fides libri chronicorum, si statuat, quo vnico argumento improbabili sententiae subueniant coniectores, nullam aliam in excitato libro genealogiam longius produci quam *Messiae*, quam sine reuelatione diuinitus facta scriptor chronicorum certo ignorasset, quae tamen reuelatio non solum falsa fuisset, vt euentus comprobauit,

*zbielis* filius, illiusque patruelis: duorum enim fratrum filios cognomines fuisse, atque communiter gessisse nomen *Zerubabelis* a loco procreationis, quod alii etiam *Sealtbielis* filio ex stirpe *Nathanis* inditum fuerat, vt supra indicauimus, nihil difficultatis habet. Fratrum vero *Iechoniae* mentio nemini negotium facesset, qui ea perpendet, quae supra disputauimus (d), et simul confiderabit silentio tantum scriptorum vetustiorum niti hanc obiectionem, quod cum negatione perperam confunditur, neque valere potest ad illos confutandos, qui negare vellent pertinaciter, *Iechoniam* caruisse fratribus; licet hoc effugio prorsus non indigeamus.

Alterum criminationis caput, quod cauillatorie obiectant aduersarii, omnium iniquissime a *Iudaeis* vrgetur, quorum celeberrimi scriptores *talmudici* aequae ac interpretes vetustissimi numerorum mysteriis et allusionibus adeo delectantur, vt illis data vel captata opportunitate quauis aucupandis, exputandis et ostentandis inhiare, nihilque minus quam exactum illorum computum requirere aut affectare videantur (e). Culpa certe vacaret, si

MAT-

probauit, verum etiam aliis vaticiniis postea allegandis repugnasset, quibus haud obscure *Nathanis* familia procreando Messiae designata fuerat. Dari potuit haec longior profetiae continuatio tam venerationi stirpi regiae debita, quam fidei vaticinio *Ieremiae* c. XXII faciendae, vt appareret, non defecisse prolem *Iechoniae*, neque principatum populique magistratum haereditario iure ad aliam familiam peruenisse, sed Dei iussu.

(d) Inprimis si cogitauerit alia loca, in quibus *Zedekias* vel frater *Iechoniae* dicitur II *Chron.* XXXVI com. X, vel filius I *Chron.* III com. XVI, licet indubie patruus fuerit.

(e) Astatim exemplorum congefferunt 10. LIGHTFOOT in *horis hebr. in euang. Matth.* operum vol. II p. CCL et IAC. RHENFELD in *observationibus selectis ad loca hebraea cum noui test. obs.* I. p. MXXXVIII -- MXXXVIII noui testam. ex *talmude et ant. hebr. illustrati*, quod 10. GERH. MEVSCHEN edidit: quibuscum WIL. SVRENHVSII *Biblos nuzad-  
nuzijs* conferri meretur p. CXXX -- CXXXVIII, cuius integer liber quartus de modis explicandi genealogias secundum veterum hebraeorum hypoteses p. LXXXVIII -- CXII, nec non libri V p. CXIII -- CXXXVII et p. CCCXX -- CCCXXXVIII. vniuersam hanc disquisitionem apprimè illustrant

et



MATTHAEVS narrationem vel soli gentis suae consuetudini obsecutus, atque ad genium et opiniones lectorum, quibus illam proxime destinauerat, accommodaturus, profapiam in tres ordines redegisset, singulorumque numerum, ad quatuordecim reuocasset, quod nomen  $\text{לד}$  litteris ad valorem numerorum aestimatis, hanc summam efficit, ipsum vero tribus litteris constat (*f*); neque de calculis ponendis anxie laborasset ad aequationem harum tesseraedecadum sufficere ratus, vt duae priores, adeoque maior et potior illorum pars, hunc numerum exacte complerent, etiamsi tertia vno alteroue destitueretur (*g*). Verum ipsa formula, qua

scriptor

et confirmant. Ea saltem, quae RHENFERDVS ex R. *Bechai* in *Rabbot's* excitat de *Dauid*, ex numerorum nominis sui valore decimo quarto ab *Abrahamo*, et allusione numeri maiorum ac posteriorum ipsius ad lunae seu mensis triginta dies, cuius lux ab *Abrahamo* ad *Salomonem* decimum quintum aucta *Rehoboamo* ad *Zedekiam* per quindecim aequae generationes imminuebatur, ita comparata sunt, vt obsecundando scriptori nostro destinata esse videantur.

(*f*) Vt littera seruilis  $\text{ו}$  in  $\text{לד}$  calculum non ingrediatur, quem litterae radicis duntaxat efficiunt. Quod sapientiam *iudaicam* adeo sapit et redolet; vt *Iudaeis* displicere aut fastidiosae ab illis contemni et reici nequeat; ex quorum sententia hae numerorum rationes et aequationes non memoriae tantum inseruiunt ad recordationem iuuandam, sed reconditas doctrinas significantius, quam verbis fieri posset, innuunt atque foecundum sensum fundunt. Alios vero non offendet haec accommodatio, qui bina priora capita MATTHAEI sollicite interpretati, scriptorisque rationem excitandi vaticinia, comprobantique ex illis a se dicta meditati compertum et exploratum habebunt, difficulter perspici et longe difficilius defendi posse argumenta, quibus vtitur, sine hoc adminiculo interpretationum suo tempore communitur receptorum et ex legibus interpretandi cinium suorum vsu confirmatis efficiendarum.

(*g*) Quibus haec minus satisfaciunt, sed fides scriptoris periclitari videtur, nisi egregium et anxium calculatorem egerit, non vniam viam supputandi ingressi sunt. Nonnulli *Dauidem* bis numerant; qua tamen ratione *Iechonias* aequae ad binas tesseraedecades pertineret, quod secundam vno maiorem reliquis efficeret. Alii *Dauidem* soli primae relinquunt, *Iechoniam* vero ita duplicant, vt exilliment, *Matth.* I com. XI *Ioiakimum* intelligi, cuius duo fratres diserte commemorati regnarunt, com. XII vero *Iechoniam*; quod nominum diuersitas non admittit, ipsumque enarrationis ordinem

scriptor non solum in significanda hac distributione com. XVII, sed in ipsa media enarratione com. XI et XII quartum repetita mentione captiuitatis *babylonicae*, quum breuius et concinnius dici potuisset a *Dauide* ad *Iechoniam* et a *Iechonia* ad *Christum* generationes acquirere generationes ab *Abrahamo* ad *Dauidem*, grauiorem praestantioremque partitionis rationem satis prodere videtur. Duplici, si quid perspicimus, consilio et sine *MATTHAEVS* hanc distributionis numerique rationem inijt. Voluit nimirum lectoribus vaticinia de *Messia* eorumque catenam et progressionem in memoriam reuocare, quibus *DEI* fides de *Messia Israelitis* maxime facta est, distincta et luculenta designatione familiae, ex qua sperandus praestolandusque erat. Qua promissionis diuinae gradatione integrum tempus, quod a foedere *DEI* cum *ABRAHAMO* inito effluerat, in tres periodos dirimebatur ipsa longitudine ad hominum aetates computata propemodum aequales. Vt igitur lectores suos tam diserta enumeratione et maiorum *DAVIDIS* ab *ABRAHAMO*, et posterorum ad *Iechoniam* vsque, licet vtrosque ex scriptoribus veteris testamenti aequae ac *ABRAHAMI* maiores cognoscere potuissent, si de continuatione prosapiae huius perhibenda tantum instruendi fuissent, quam memorabili compellatione *IESU CHRISTI*, qua narrationem exorditur, denominationibus filii *DAVIDIS* filiique *ABRAHAMI*, indubie ad recordationem

nem et nexum perpetuum turbat. Verisimilius igitur fratres *Iechoniae* scilicet tres *Iosiac* filii mediam tesseradecadem claudunt, quorum vnus *Iechoniae* pater ad prosapiam efficiendam pertinet, vt reliquorum patruorum vnus patri *Iechoniae* in regno decessit, alter ipsi *Iechoniae* successit, et quorum mentio ad captiuitatem plenius repraesentandam requirebatur, commemorato tamen vna ipso *Iechonia*, a quo initium captiuitatis duci solebat, et qui in hoc computo tertiam tesseradecadem orditur; vt *Iosephus* calculis exacte subductis decimus tertius euadat, qua ratione a captiuitate *babylonica* non ad *Iosephum*, sed ad *Christum* quatuordecim generationes complentur. Qui *Mariam* hic inferunt ad suppleendam postremam tesseradecadem, nullam ne probabilitatis quidem rationem habuisse videntur.

nem sollicitamque meditationem iteratae et insigniter auctae promissionis de *Messia* designato indubie remittit sagacissimus scriptor: sic eadem ratione illos de nouo gradu tertium confirmatae, arctius circumscriptae et luculentius declaratae promissionis huius circa tempus captiuitatis *babylonicae* reditusque ex illa commonefaciendos esse putauit; quorum vaticiniorum considerationem idem conducere existimauit ad demonstrandum, IESVM vere esse CHRISTVM, quod ad eius rei fidem faciendam ex vaticiniis temporum ABRAHAMAE et DAVIDIS conferri potuit (*b*). Praeterea nihil accommodatius fore credidit MATTHAEVVS ad liberandos ciues et gentiles suos a praeconcepta opinione terrestri regni *Messiae*, quae in animis ipsorum firmiter infederat altisque radices egerat difficulter euellendas, hac ipsa contentione trium periodorum, quas insignis diuersitas conditionis statusque familiae *dauidicae* effecerat, quae *Messiae* progenies iure habebatur: vnde intelligi euidenter poterat, promissiones diuinas de regno DAVIDIS aeterno et nunquam cessaturo vel effectu caruisse, atque dudum fidem sefellisse, quod

(*b*) Quod per leges computandi sic effertur, vt se habuit promissio de *Messia Abrahamo* facta, ad eius iterationem, quae *Dauidi* contigit; eadem huius ratio est ad confirmationem illius, captiuitatis *babylonicae* tempore factam. Si spatii angustia id pateretur, vberius haec deduci possent. Praeter euidentissima vaticinia huius temporis, quibus alia signa et indicia *Messiae* proponebantur, ad designationem familiae, ex qua oriundus erat, in primis pertinent, et *Ier.* XXIII com. V. VI cap. XXX com. VIII, cap. XXXIII com. XV. XVII, quibus posteritati *Dauidis* procreatio *Messiae* confirmatur, et *Ier.* XXII com. XXIII. XXVIII -- XXX, vbi posteritas *Salomonis* per *Isoboniam* propagata excluditur, et *Hagg.* II com. XXII -- XXVIII, *Zach.* III com. VI. VII etc. cap. XII com. VII. X. XII, quibus *Nathanis* posteritas ex *Dauidis* familia atque *Zerubabelis* soboles euidentissime designatur: alia certe intelligi nequit *Zerubabelis* electio ab *Haggai* praedicta eo tempore declaranda, quo Deus orbem vniuersum commoturus et regna gentium euersurus erat. Quod nec *Iudaeos* latuit, quorum opinio de vxore *Nathanis*, filii *Dauidis*, matre *Messiae*, quam ex *Sohare* excitauit clariss. SCHOETTGENVS *hor. hebr. et talm. in nou. test.* p. CCLXVIII aliunde difficillime deriuabitur.

quod sine piaculo dici nequit, vel ad aliam imperii indolem spiritua-  
lem et caelestem spectare, postquam proles regia DAVIDIS nu-  
mero generationum posteros illius ad regni fastigium euectos fere  
aequauerat, qui numerum maiorum eiusdem ab ABRAHAMO pa-  
rum excefferant, cuius semine tamen gentes vniuersi terrarum or-  
bis fortunari debuerant (i).

In conuellenda tertia vituperatione illorum improbamus  
sententiam, qui *Iosephi* maiores a MATTHAEO exhiberi autumant,  
quod iidem *Mariae* ex linea materna fuerint per *Annam* matrem,  
*Iosephi* sororem, *Iacobi* filiam (k), atque rectius consilium scri-  
ptoris sacri tuemur indubia necessitate attemperandi se publice re-  
ceptis opinionibus aequae ac moribus temporis populique sui, quo-  
ad per finem propositum et veri rectique rationes licuit. Cognitum  
et compertum habebat, IESVM non solum vocatum fuisse a ciuibus  
suis filium *Iosephi*, *Matth.* XIII com. LV, *Luc.* III com. XXII,  
*Ioan.* I com. XXXXVI et cap. VI com. XXXXII, coll. *Luc.* II com.  
XXXVIII, verum etiam recte et sine errore (l) id fieri posse,  
inno

- (i) Qui aliam hic temporum seu durationis harum periodorum aequationem  
et comparisonem moluntur, bonae causae male consulunt, quae *crudis et*  
*acerbis* opinionibus non iuuatur: qualem cuius primo visum iri ipsemet  
fatetur rev. BENGELIVS suam de chronologia sententiam, quam in hac ge-  
nealogia latere atque ad interpretationem pertinere existimat *gnomonis* p.  
XV etc. Nobis certe non accidit, quod fore putauit, vt *saepius perpen-*  
*mitescat*, quibus vel decies relecta multumque perpena repugnantior euasit,  
plane conuictis, quidquid operationibus arithmeticis ex numeris in historia  
sacra obuiis efficitur scriptoribus sacris tribui aut ad sensum illorum refer-  
ri non posse, nisi ingenium *udaicum* cabalistica sagacitate superare velimus.
- (k) Effinxit multumque exornauit hanc opinionem CORNEL. a LAPIDE  
*comment. in III Euang.* tom. II p. LXXVIII - LXXXIII, historiamque fa-  
bulosam de *Ioachim* et *Anna*, parentibus *Mariae* commentitiis, ipsa altera-  
tione, quam tentauit, improbabiliorum effecit.
- (l) Si ciuilis et legitimus pater a naturali distinguitur: quo constituto diseri-  
mine indubio verus pater in societate ciuili habetur, qui filium a legitima  
coniuge natum agnouit, susceptumque educauit. Iura enim et officia in  
hominum societate ita cohaerent sibi que respondent, vt *Iosepho* obligato ad  
IESVM

immo vero per consuetudinem et ius civile aliter illum vocari, vel alia denominatione in tabulas familiarum referri non potuisse; neque ignorabat, matrum nullam rationem haberi in maiorum censu agendo efficiendaque stirpe, atque matris familiam nihili prorsus fieri (m), intelligebat praeterea enarratam Iosephi procreationem ex DAVIDE sufficere, ad demonstrandum populo suo IESVM Davidis filium (n), praeparandosque lectores ad vaticiniorum de hoc Davidis, filio meditationem, ipsamque originis ipsius distinctiorem

D 2

IESVM educandam ipsa diuina conuictione de fide coniugis non violata, idem pleno iure humano pater illius habeatur. Cautè tamen et circumspicte MATTHAEVS ab illa locutione abstinuit, atque cap. I com. XV non solum genealogiam in Iosepho finiit, verum etiam diserte adiecit, τὸν ἀδελφὸν Μαρία, ἢ τοῦ ἐξ ἑσθὴρ Ἰησοῦς, ne, si scripssisset Ἰωσήφ πατὴρ Ἰησοῦς vel τὸν πατέρα Ἰησοῦ, erroneam opinionem de Iosepho patre naturali confirmate videretur.

(m) Ex decantata Iudaeorum sententia, quae *Inchasin* fol. LV col. II legitur משפחה משפחה אין קרויה משפחה אם אין קרויה משפחה, familia matris non vocanda est familia. Quod apud ipsum LVCAM tantum valuit, vt *Mariae* nomen genealogiae diserte non inferuerit: criminatorie igitur vituperatur in *Chisfuk Emmunab* part II cap. I p. CCCLXXXII כרים בן מרים היה לו לכתוב ישו בן מרים וכי, scribendum ipsi fuisse Iesus filius Mariae, filius Eli, filius Matat, quod certe vehementius impugnatum fuisse ab obrectatore, si ita legeretur. Ipsum tamen vituperium in rem nostram cedit: quod aduersarius agnoscat non scribendum fuisse בן מרים, atque adeo singula nomina huius tabulae cohaerere cum verbis Ἰησοῦς ὁ υἱὸς τοῦ Ἰωσήφ x. r. λ.

(n) Plura iuris Iudaici loca excitat *Lightfoot* oper. tom. II p. DIII, quibus id euincitur. Neque parum haec confirmantur, tam numerosa secta Iudaeorum, qui licet IESVM naturalem Iosephi filium habere grauitate in eo peccarent, nihilo tamen fecius Messiam diuinitus promissum legatumque agnouerunt, factaque secessione ab hostium conitratione sacra peculiariter habuerunt, nominibus nazarenorum, ebionitarum et his similibus insigniti: quam aucta in Iudaeis aduersae partis calumniandi atrocitas, qui calumniam de naturali IESV procreatione a Iosepho ad auertendos retrahendosque homines ab eius agnitione haud sufficere rati, ipsaque experientia edocli, aliam turpiorem de impura ex adulterio procreatione mendacissime finxerunt, quam sequaces voracissima fabularum aueritate abliguerunt,

intelligentiam: maluit igitur subductis his rationibus omnibus *Iosephi* genealogiam scribere, quam *Mariae Iudaeis* offensionem futuram; quod sine confirmatione erroris de *Iosepho*, naturali IESU patre, fieri potuit, et cum diserta eiusdem consutatione factum est, quae hanc maiorum tabulam proxime excipit; satiusque duxit et conuenientius prosapiam matris eo tempore non obscuram aliis scribendam relinquere, quam lectores obruere et violatione consuetudinis ciuilibus offendere, atque adeo fini suo officere. Quod nulla rationis specie culpari poterit, nisi statuere velimus, debuisse scriptorem sacrum, nihil eorum quae cognita habuit praetermittere, ipsique DEO curandum fuisse, ut quae a genere humano cognosci voluit simul vno tempore et loco ab eodem scriptore litteris consignentur, sine dispensatione incrementorum gradatim sufficientiorum.

LIVCAE vituperatoribus et *Cainanis* mentio cap. III. com. XXXVI, et longa maiorum *Abrahami* ad *Adamum* enarratio com. XXXIII--XXXVIII, ipsis superuacanea visa, offensionem fuit. Cui exprobrationi duplici ut ad finem properaturi breuissime satisfaciamus, neque *Cainanem* defendimus, neque a LIVCA commemoratum fuisse negamus, quod a nonnullis factum est, culpam vel errorem in librariorum amolituris non sine aucto discrimine (o), cui occurrere voluerunt: intrusum vero ab ipso aut excogitatum esse fortiter negamus, quem ex graeca versione, LXX interpretum dicta, desumpsit, in qua indubie ante LIVCAE tempora deprehendebatur; quod illius praetermissionem longe maiori parti lectorum, sola hac versione vsorum, narrationem dubiam et suspectam reddituram esse, commemorationem vero sine approbatione et defensione subdititii nominis, aut impugnatione codicis *hebraei* locum habe-

(o) Neque felicitus, sed longe periculosus causae, quam agunt, prospiciunt, qui *Cainanem* hunc defensum iuerunt ex distinctione, quam supra impugnavimus, generationis legalis et naturalis: de quo legi poterit *hystoriae orbis vniuersae* tom. VIII §. CCXI, et tom. I §. CCLXIII et CCLXXXVI, ubi plures de vniuersa hac disputatione scriptores excitantur.

habere, probe perspexit (p). Maiorum *Abrahami* enumeratio multo minus *LUCAE* vitio verti potest, quam scriptori *Chronico*: quum ex ipsa comparatione *MATTHAEI* evidens illius ratio appareat cuius facile approbanda. Ut *MATTHAEVS* *Iudaeorum* causa *IESVM* ex *Abrahamo* et *Dauid*e deduxerat, cuius illum esse filium *Abrahami* et *Dauidis*, liberaturum fidem *DEI* vtrique datam: ita *LUCAS* gentium reliquorum gratia effecturus, *IESVM* non solum *Dauidis* et *Abrahami* filium esse, sed semen mulieris *Adamo* promissum, ipsaque cognatione ad generis humani vniuersitatem pertinere, cuius nulla gens aut natio cogitari potest, quae non ex vno alteroue horum maiorum *Abrahami*, *Noacho* saltem, aut si mauius *Adamo*, ortum trahat, profapiam ad communem hominum omnium parentem continuat et prosequitur, vaticiniorum de *Messia Abrahamum* praegressorum ratione simul habita.

Quae vtrique scriptori praeter haec communiter obiiciuntur, haec fere sunt: ignorari, saltem non produci posse fontes, vnde notitiam eorum haulerint, quae ex vet. testamento non habuerunt *MATTHAEVS* a *Zorobabele*, *LUCAS* a *Matthabane*; obscura esse haec nomina et nusquam apparere, neque in sacris litteris, vbi posterorum *Nathanis* mentio fieri potuisset, neque apud *Iosephum* et alios scriptores *Iudaeos*; insigne numerorum discrimen, quod inter generationes vtriusque scriptoris intercedit, suspectam reddere alterutrius saltem narrationem; et, quod omnium grauissimum esse videtur, longe alia perhiberi de *IESV* parentibus et origine a scriptoribus non solum *Iudaeis*, verum etiam *christianis* vetustioribus, quae huic genealogiae refragantur.

Primum obrectationis caput desperatam causam prodit, omnemque fidem plerorumque scriptorum sacrorum et historiae antiquioris euertit. Magni intererat *Israelitarum*, non ad rem domesticam et familiarem tantum, sed sacram etiam et publicam, summa

D 3

ma

(p) Eadem accommodatione ad lectores, qua in excitandis oraculis diuinis tam ipse *LUCAS* quam reliqui scriptores sacri versionem *graeecam*, etiam si a textu recedat, frequenter retinent, neque tamen textui refragantur.

ma sollicitudine conseruari tabulas gentium singularum, idque omni industria factum esse, ex libris *Cronicorum*, *ESRA*, *NEHEMIAH*, *IOSEPHO*, ipsoque *Talmude* abunde constat. Neque desunt exempla continuatae apud *Iudaeos* notitiae certae et indubiae originis et procreationis ex maioribus, qui in libris diuinitus scriptis commemorantur: vt *Paulum* praetereamus *Beniaminitam*, *Iosephus* in vita, quam ipsemet conscripsit, longam maiorum seriem ad *Hafmonaeos* et libros sacros vsque enarrat, quae sine iniquitate sollicitari non potest; neque *Hillelis* ex familia *Davidis* oriundi stirpem impugnabimus, quam *Iudaei* ostentant (q). Quidni potius urbem *Nazareth* existisse negent? Quae certe in libris vet. testamenti nusquam legitur. Quod tamen nomen *הנצרי* satis impedit, quo honorifico conuitio hostium ingratis vaticiniorum de *IESV* fides liberatur.

Ad alteram infectionem praestat rem fateri et argumentum inficiari, quod perperam et preuaricatorie exinde desinitur, quam vel ex *Pseudophilone* aliisque subdititiis libris, vel ex ficta comparatione horum nominum cum hominum nominibus, quorum res gestae in historia comparent, multa comminisci ad *IESV* maiores illustrandos et clariore efficiendos, sola hac diuina propagine sua illustriores quam splendore aliunde petito, quamuis vero nedum ficto et emendicato, reddi poterunt (r). *Zorobabelem Iudae*

(q) Neque pronocatione ad reuelationem diuinam causae nostrae subueniendum esse putamus, neque multo minus testimonio cognatorum *IESV*, qui *Nazaris* et *Cochabae* in *Iudaea* tabulas familiae suae priuatum conseruatas fuisse, quum publica monumenta genealogica *Iudaeorum* iussu *Herodis* concremarentur, apud *EVSEBIUM* *hyst. eccl.* lib. I c. VII p. XXIII etc. silentio *Iosephi* et aperta contrarii testificatione, quam illi *deanbavoi*, quiui fuerint, *IULIO AFRICANO* imposuerunt, cum aliis commentis indubiis de *Esba* *IESV* proauia, quam aequae ac *Pantherem* sed *Barpantherem*, *IESV* abauum et proauum aliorum inter *christianos* inexcusabili curiositate factos, ipsa execrabilia *Iudaeorum* nomina *Stada* et *Pandera* esse, vberius probari posset, si locus id admitteret.

(r) In *LVTHERO* aliisque scriptoribus coaeuis faciliorem excusationem habet,



principem templique posterioris conditorem oculatissimi *Judaeorum* ex *Nathanis* stirpe fuisse perspexerunt, neutiquam arbitrati obscuritatem aut neglectam commemorationem maiorum ipsius in sacris litteris dignitati indubiaeque origini illius obfuisse; quod in *IESV* aequè valere debet, si a partium studio inuidiaque abstinatur. Obscura et ignobilis fuit nullisque magistratibus gestis aut praeclare factis memorabilibus, memoratis saltem, conspicua haec proles regia, ex qua *IESVS* ortum traxit. Ipsi tamen huic obscuritati conseruationem suam debet, atque tam securitatem a violentia et oppressione, cui domus *asmonaea* succubuerat, quam innocentiam et immunitatem a corruptione temporum perditissimorum.

Tertia sugillatio in obiurgatores recidit, quos profapierum admodum imperitos esse oportet, si inaequalitate generationum in diuersis familiis offenduntur, aut existimant numerum maiorum, quibus duo pluresue homines coaeui a remotissima stirpe communis distant, nunquam discrepare; qui tamen, si plurimum saeculorum decursus intercessit, ita interdum differt, vt summa maiorum vnus quarta parte et supra summam maiorum alterius excedat (s).

Quae

bet, quod commentitios maiorum *IESV* magistratus et longam successiorem principum *Judae* ex familia *Dauidis* bona fide aliorum enarrarunt, quam in recentissimis scriptis, vbi commentum illud cognominum posterorum *Zorobabelis*, et confusio *Iosephi Matthathiae filii Luc. III* com. XXIII memorati, cum *Iosepho Tobiae filio*, cuius historiam *FL. IOSEPHVS antiquit. iud. lib. XII c. IIII* etc. copiose enarrat, exulare deberet, quae a *clar. SCHMIDIO* in *genealogia biblica* perhiberi aegre ferimus.

- (s) Numerus generationum apud *LVCAM* summam a *MATTHAEO* commemoratarum, si indubie praetermissae computum ingrediuntur, quarta parte integra superat. Neque magis insolitum et improbabile est, quadraginta generationes vndecim saecula explere, vt singuli maiores vicefimo octauo fiberos susceperint, quam chronologi triginta annorum spatio generationes circumscribant, quam idem tempus triginta generationibus distribuere, interuallo triginta septem annorum constituto. Quam ob rem nulla amputatione duarum primarum generationum, quae *Lucae III* com. XXV leguntur, opus est, licet indubiam et singularem plane suspitionem faciant, non sine difficultate amoliendam.

Quae postremo loco obiectantur, non indignamur magis quam miramur. Non quod alienum a *Iudaeorum* vel ingenio vel animo esse putemus, vt fingendi mentiendique libidini indulserint, multaque commenti historiam inuisam commaculatum sollicitatumque iuerint, aut existimemus a credulitate multorum inter ipsos *christianos* olim abhorruisse vt fabulas aucupati de rebus sacris innumera sibi imponi passi sint, quae inaudita videbantur, atque a scriptoribus diuinitus inspiratis praeterita: sed quod fidem superare videatur, fieri posse, vt illa commenta recognita et examinata, quid quod attente tantum perlecta, narrationibus scriptorum sacrorum opponantur. Alia nostrisque scriptoribus contraria a *Iudaeis* de *IESV* in ipso *Talmude* perhiberi tantum abest, vt inficiemur, vt potius contra multorum *Iudaeorum* negationes fortiter tueamur (t); neque ignoramus, quae longe detestabiliora euomerint scriptores vtriusque libri *ישו תולדות* inscripti (u); dolenter etiam recognouimus, quae nonnulli priscorum christianorum non solum scriptores *proteuangelii Iacobi*, atque euangeliorum infantiae

(t) Congessit illa WAGENSELIUS in confutatione libri *Toldos Ieschu* p. XII -- XV, BALTH. SCHEIDIVS in *praeteritis praeteritorum*, in MEVSCHENII *nou. test. ex talmude illustrato* p. I - XII et IO. ANDR. EISENMENGER in *entdektem ludensium* part. I c. V p. CCXXVII -- CCLIII. Antiquitatem calumniae atrocissimae demonstrat ORIGENES lib. I contra *Celsum* §. XXXII p. CCCXXXXVIII tomi operum illius a CAR. DELARVE editorum, cuius animaduersione ad illum locum aequae ac illustris IO. LAURE. A MOSHEIM ad versionem *germanicam* illius libri p. LXXXIII -- LXXXIII conferri meretur.

(u) Prior dudumque notior liber in *telis igneis satanae* a WAGENSELIO editis cum confutatione apparuit: posteriorem *ספר תולדות ישוע הנוצרי* aequae refutatum edidit *Lugduni* MDCCV IO. IAC. HVLDRICVS. Vtriusque narrationes a verisimilitudine adeo abhorrent, vt mendacissima impostura pelluceat; si vero inter se aut cum *Talmude* contendantur, nulla impugnatione opus est ad profliganda commenta, quae mutuis conflictibus femetipsa euertunt. פנדר יוני, quod *christiani* scripserunt *Panthera*, rectius forte a versione *latina* תלני deriuaretur, quam a *gracca* denominatione belluae immanis.

tiae CHRISTI et de natiuitate MARTAE, verum etiam ipse EPIPHANIVS et IOANNES DAMASCENVS aliique recentiores vel de ortu MARIAE ex tribu *Leui*, vel de *Panthere* et *Barpanthere*, proximis IESV maioribus, imprudentissime, ne quid grauius dicamus, fabulantur (x): nihil tamen veremur scriptoribus sacris, quos sequimur, et qui vel soli, sine testium reliquorum multitudinē ipsiusque diuinæ auctoritatis indubiae praesidio, secure cum his fabulatoribus committuntur, ingloriam forte non incertam victoriam reportaturi.

Tertium, quod restat, negotium paucissimis expediemus, quod scriptio nimium iam exereuit; nihil eorum repetituri, quae ex praegressis iam patent, et in breuem summam contracturi, quae longissimae meditationi vsuique inferuire poterunt, atque huc redeunt.

Veneremur prouidam DEI curam, qua nobis de fide diuina IESV seruatori dominoque habenda hac ipsa significatione maiorum ipsius prospexit, eaque rite vtamur. Designatio gentis, ex qua *Messias* generi humano promissus olim oriundus erat, insignem partem vaticiniorum efficit, quibus non solum patribus tempora ipsius praegressis, verum etiam posteritati nobisque consulendum fuit. Ipsa mora diuturnior aduentus desideratissimi *Messiae* commodo nostro cedit, vt plura exstarent vaticinia diuersis et per longiora interualla distinctis temporibus iterata posteritatieque transmissa, quorum testimonio diuino demonstraretur, IESVM MARIAE filium, eo tempore natum, quo de certa ipsius prosapia sine mi-

racu-

(x) Viderint, quorum interest, traditiones fabulasque magnis auctoribus propagatas defendi, quibus excusationibus illos tueantur, qui nequissimum *Panthera* inter sanctos retulerunt, et Patriarchis inseruerunt, in quibus eminet EMAN. THESAURVS, qui in elogiis Patriarcharum *S. Pantherem* aequae ac *S. Barpantherem* summis laudibus celebrat, secutus EPIPHANIVM haeres. LXXII et IO. DAMASCENVM de fide orthodox. lib. IIII cap. XV.

raculo et noua reuelatione omnibus constare potuit ( $\gamma$ ), testibusque omni exceptione maioribus vere constitit, atque ex maioribus diuinitus designatis indubie ortum procreatumque, verum esse *Messiam*, vnicum salutis aeternae instauratorem. Conferamus igitur hanc IESV genealogiam cum vaticiniis et oraculis diuinitus in litteras relatis, sine quorum recognitione nihil illa iuuabimur, vt ea sedulo meditati DEO credamus, diuinaque fide IESVM CHRISTVM agnoscamus et amplexemur.

Ita suspiciamus IESVM secundum carnem ex *Israelitis* patribusque designatis ortum, vt eundem simul DEI filium esse, atque adeo *DEVM super omnia celebrandum in saecula*, Rom. VIII com. V, cogitemus, ipsaque profapiae consideratione ad venerabundam hanc meditationem compellamur, monitore *Luca III* com. XXII et XXXVIII. Fuit IESVS propago et surculus non magis quam radix *Dauidis* et *Isai* omnisque gentis suae, *Apoc. V* com. V, cap. XXII com. XVI et *Rom. XV* com. XII, cui patres omnia debuerunt. Eo igitur sensu ἀγενεαλόγητος est IESVS MELCHISEDECVM referens, *Hebr. VII* com. III, vt neque iure haereditario a maioribus deriuato indignuerit, neque ex illis quidquam traxerit dignitatis. Ipsa illius progenies non haereditaria successione per primogenitos, sed libera DEI promissione ad posteros transit. Opus ipsi fuit his maioribus, non ad dignitatem obtinendam, sed vt facilius certiusque ab omnibus agnosceretur dignitate diuinitus profecta conspicuus. Conscendit *thronum patris sui Dauidis*, *Luc. I* com. XXXII, quem *Dauid* ipsius causa occupauerat, et in quo constitutus hunc filium suum dominum salutauit et veneratus est,

( $\gamma$ ) Adeo dudum perit genealogiarum antiquitas deductarum certa notitia inter IYDAEOS, vt licet multi stirpem *dauidicam* iactitent, quod satis ostentorie ab ISAACO ABARBANELE factum est, de fide tamen aliis facienda ipsi desperent, perditasque tabulas vetustiores conquerantur. Nouo igitur propheta opus esset ad hoc *Messiae* signum ostendendum: quod effecit, vt plerique nunc ipsa vaticinia factamque originis *Messiae* designationem inficiantur, vt supra p. XI *Orobium* fecisse apparet.

est; *Pf.* CX com. I. *Matth.* XXII com. XXXXII-- XXXXV et *Luc.* XX com. XXXXI-- XXXXIII, coll. cap. II com. XXXXVIII et XXXXVIII.

DEO acceptam referamus, si homines sumus, aeternum laetabilem dignitatem in genus humanum collatam hoc ingressu filii sui in gentem nostram, et cognatione honorificentissima ipsis angelis inuidenda, *Hebr.* II com. XIII. XVI etc. Gratulemur nobis hanc gloriam magnique, vt par est, faciamus naturam humanam adeo euectam, vt suplimius euehi nequeat. SI IESVS non *Davidis* et *Abrahami* filius est, *Israëliitarum* frater, sed *Noachi* quoque et *Adami*, atque adeo frater filiorum omnium ex his patribus communibus ortorum: radix erit, conditor, conseruator et liberator generis humani procurato nobis reditu in DEI familiam, hominis filius factus vt homines DEI filios redderet, *Ioan.* I com. XII etc. nouam conditurus in orbe terrarum gentem et familiam filiorum haeredumque DEI (z), aeternitatis pater alterque *Adam* futurus atque semen et lobolem numerosissimam diuinitus datam DEO adducturus *Hebr.* II com. XIII *Ies.* VIII - XVIII, *Rom.* V com. VIII - XII. Vtvero nihil profuit ad veram felicitatem *Israëlitis*, ne maioribus quidem *Messiae*, haec

car-

(z) Prodiit MDCCVI *Venetis* VITT. SILV. GRANDI *Genealogia* del nostro signore Gesu Cristo secondo la carne e discendenza spirituale del medesimo, h. e. *genealogia domini nostri Iesu Christi secundum carnem et progenies spiritualis eiusdem*, cuius prima parte profapia ab *Adamo* ad CHRISTVM deducitur, fabulisque innumeris illustratur, altera CHRISTI vita enarratur, et tertia denique duas priores mole multum superans spiritualem illius sobolem exhibere dicitur, quam *paparam* a *Petro* ad *Clementem XI* successione comprehendi arbitratu nugacissimus scriptor, spiritualis procreationis admodum ignarus; quam ne vehementissimi quidem curiae *romonae* assentatores reliqui Pontificibus adscripserunt, quos praeclare fatentur vicarios Christi infallibiles esse posse sine virtute *christiana* et mente diuinitus animata, a qua multi illorum indubie alienissimi fuerunt Christoque dissimillimi. Si sacras litteras sequimur, ad hanc dignitatem spiritualement neque requiritur neque sufficit constitutio ad sacra publice facienda: neque magis sperandum vnquam est, vt omnes doctores ciuitatis christianae ad hanc IESV familiam pertineant, quam verendum ne illis solis circumscribatur et terminetur.

carnis cognatio sine fide et obsequio: sic incassum laetamur de hac cognatione, nisi sollicitè prouideamus, vt spirituali ipsius coniunctione non destituamur.

Ipsium IESVM audiamus, qui *Matth. XII* com. XXXVIII -- *L, Marc. III* com. XXXIII -- XXXV et *Luc. VIII* com. XXI felicissimae huius cognationis aeternum profuturae cuius spem fecit, fidem dedit, ordinemque praescripsit. Omni igitur cura, contentione et sollicitudine id agamus, vt verbum et testimonium DEI fide complectamur, eoque transformati nouam vitam, spiritumque nouum ex CHRISTO consequamur, atque ipsius peculium, et soboles euadamus.

Hanc vero familiam et gentem diuinitus constitutam ingressi, et generi humano bene precemur, velimus et cupiamus, ipsique propagatione, conseruatione et amplificatione cognitionis CHRISTI prodesse studeamus, neque fratrum IESV secundum carnem inmemores aut incurii viuamus; et in fratribus ex spiritu natis amandis fouendisque elaboremus; et in ipsiusmet IESV consuetudine et familiaritate vitam transigamus, vt ipsa morte in amplissimam DEI domum translati, ipso DEO nostro gentisque sanctae consortio aeternum fruamur. P. P. Halae ad Salam

in acad. Frid. in vigiliis natalis IESV domini, anno dñi 1700 XXXVIII



ad 24

00 A 6402


ULB Halle 3  
002 927 349




Sb.

VD 17









23

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR  
IOAN. IOACH. LANGIVS  
MATH. ET PHILOS. PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAR  
IMPER. NATVRAE CVRIOSOR. ET REGIAE SCIENTIARVM  
BEROLIN. COLLEGA  
VNA CVM  
CANCELLARIO, DIRECTORE  
ET PROFESSORIBVS  
RELIQVIS

NATALEM IESV DOMINI  
INDICIT  
COMMENTATIONE  
DE  
GENEALOGIA CHRISTI.



M DCC XXXXVIII.